INDEX
SCHOLARUM AESTIVARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

A DIE XXI M. APRILIS A. MDCCCXC

AD DIEM XXXI M. AUGUSTI EIUSDEM ANNI

HABENDARUM



INEST COMMENTATIUNCULA MACROBIANA

GEORGII GOETZ ANTIQUARUM LITTERARUM PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA G. NEUENHAHNI

Annis huius saeculi XLVIII et LII Ludovicus de Ian duobus voluminibus Macrobii opera quae supersunt 'excussis exemplaribus tam manu exaratis quam typis descriptis' emendata et apparatu critico adnotationibusque aucta edidit: ex cuius diligentia adhuc pendet crisis Macrobiana, nisi quod 'excerpta de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi' nunc Keilii cura egregie retractata exstant in grammaticorum latinorum volumine quinto. Nam quae anno 1868 prodiit editio Francisci Eyssenhardt — commoda sane neque sine laude commemoranda — in universum a Ianio pendet, etsi multis locis ea demum quid in codice Parisino exstet, quid in Bambergensi, edocti sumus; neque illud tacendum, rectissime Eyssenhardtium ex magno codicum numero, quos Ianius adsciverat, pauciores elegisse, ad quorum normam textum recenseret —: nam bonos aut malos libros Ianius non semper discreverat —: quod tamen idem satis habuit, codices aliquot a Ianio adhibitos denuo conferre reliquis qui exstant neglectis quin non recte fecerit, dubium esse non potest. Hoc cur ita se habere censeam occasione scribendi oblata uno exemplo demonstrabo de emendandis Saturnalibus paucis disputaturus.

Praefationis Eyssenhardtianae initium hoc est: *'Macrobii ea patet manu scripta plurimi facienda esse quae Macrobium et totum exhibent et, quae hodie multo magis curamus quam scriptorem ipsum, Graeca non omittunt. ex hoc genere unus hodie superest — nam in Neapolitano Borbonico utrum Graeca legantur necne, Ianius non significauit*[1]*) — Parisinus, olim alter accedebat Bambergensis Parisino praestantior, sed qui multis foliis recisis hodie tantum Saturnaliorum duos priores libros et tertii maiorem partem continet'.* Codicis autem Bambergensis extat gemellus, sed qui non unam ob rem Bambergensi etiam praeferendus esse videatur: codex Vaticanus Reginae Christianae 1650, de quo haec communicat Ianius vol. II p. VII: *hic codex membr. formae quadratae sec. X binis columnis exaratus inde a folio XLI. continet Saturnaliorum libros I—III omissis primis verbis: 'Multis uariasque in hac uita', et libro II. ad-*

1) Cf. tamen praef. Ianii I p. LXXXVII, ubi Iannellii verba adferuntur, ex quibus patet Graeca ibi extare.

dita subscriptione: MACROBII THEODOSII V. C. ET INL. CONVIVIORVM PRIMI DIEI SATVR-NALIORVM EXPLICIT, libro III. tantummodo: Explicit. Ex quibus verbis cum nihil aut non multum disci possit, codicem paullo accuratius tractabo profectus ab eis quae Gustavus Loewe olim enotavit.

Codex Vaticanus reginae Christinae lat. 1650 (antea 1913), olim Sancti Remigii, membranaceus, 111 foliorum, saeculi IX exeuntis, continet 1) in fol. 1^{r}a—10^{v}b partem commentarii in Orosium[1]), 2) in fol. 11^{r}a—39^{v}a commentarios in libros I—IX Prisciani, 3) in fol. 39^{v}b—40^{r}b Ausonii Mosellae v. 1—180 (cf. Peiperi praef. p. LVII), 4) in fol. 40^{v} varia glossematica, 5) in fol. 41^{r}—104^{v} Saturnaliorum lib. I—III, 6) in fol. 105—111 varia ad sacram scripturam spectantia. Dolendum sane, quod Saturnaliorum Loewius particulas tantum contulit: sed tamen quae reliquit ad codicis auctoritatem cognoscendam sufficiunt. Subiciam scripturas cum Eyssenhardtio collatas lectionibus codicum Parisini et Bambergensis sicubi e re esse videbitur uncinis inclusas additurus. I 4, 17 *dixit his uersibus]* in ras. exstant; I, 4, 18 *Claudius] Cludius (Claudius* BP*); de nocte] de noctu (de nocte* BP*);* I 3, 19 *iure caesus] iurae cesus; uerbis] uerbi* in ras. *(uerbis* BP*);* I 4, 20 *indicium] inditum (indicium* BP*);* I 4, 21 *consuetum] consuaetum (consuetum* BP); *praefiscine et praefiscini] prefiscine et profiscini (profiscini* etiam B[1]*); tertius] sextus; edi] egi; emoriar] moriar;* I 4, 24 *infitias] inficias* (ita Pb; *infacias* B); *Cn. Matius] Gneus Matius (mattius* P*); aquarium urceum] aquarum urceum*

---

1) Hi commentarii — sane plerumque viles — valde sunt corrupti: unde sequitur, ut qui codicem scripsit commentarios non composuerit, sed aliunde repetierit. Exscribam aliquot scholia maiora: *raptas sapinas cum romulus a sabinis coniugem peteret et non inpetrauit. uī extorsit constituit enim ludos qui appellantur consualia neptuno ad quos sciebat sabinos uenturos esse preeipitque ut sabinorum filias raperent quo facito tatius sabinorum rex bellum indixit romanis s. cum ex utraque parte multi caderent sabine ause sunt inter tela exorare patres et coniuges ut amicitiam facerent et fecerunt* (= p. 88, 6 ed. Vindobonensis); *metum sufetius soro ctium metus albanorum rex aduersum tulliu bellum gerit et uictus est ab eo et tullius bellumque allbanis mouerat ad fidenates transtullit. et obpugnans fidenas iussit mettum auxilium romanis mittere qui adhuc hostili tumens odio locauit castra in summo speculaturos euentum belli ei parati aces snrusque hñ scfellit tullium qui superatis hostibus mettum circumueniri iussit ligauitque eum ad duas quadrigas et in diuersas egit partes ut sicut fieret corpus eius quemadmodum animus anceps et uagus fuerat* (= p. 97, 13 ed. Vindob.); *adulteratę lucretię lucrecia coiux erat quinti tricipitini huius pudicitię inuidens tarquinius nocte intrauit in cubiculum cum ferro minaturque ē mortem nisi pateretur stuprum quam cum uidisset non recussantem mortem minatus est ut eam interficeret et cum intellegeret se lucretia perituram adulterio deprachensa ē et tarquinius fugit in castra lucretia se ipsam interfecit ut intellegeretur non uoluntate passa ē. orta ē uirne inultam pateretur iniuriam quippe II filios adulescentes brutus qui primus consul factus ē tarquiniorum scelus grauiter feriens detullit ad populum querellam censuitque interficiendos esse reges nefandos quos expullit populus romanus. poena filii idest·quia gabie tarquinii superbi filium occiderunt* (= p. 90, 9–11 ed. Vindob.).

(aquarum B[1]; *ortium* B; *orcium* P*); I 4, 25 daret et] daret (dare et* B*); uoles]* om. (om. BP'); *die quinti] die quinte (die quinti* P*); I 4, 26 Caelius] coelius; ex Originibus] et originibus (ex originibus* BP*); I 4, 27 ad consuetudinem] ad consuaetudinem (ad consuetudinem* BP*); die noni populo Romano] die noni post K,* nisi quod K superiore parte lineola transversa insignis est (itidem B). I 17, 22 verba *terram ... id est* in Vaticano non desiderantur; I 17, 31 *cognominatur]* ita Vaticanus; *cognominatus* B.

His addam scripturas quasdam excerptas ex versibus Graecis: I 18, 12 *τήκων] ΤΙΚΩΝ* (ita etiam B); *ἐξανέφηνε] ΕΧΑΝΕΦΕΝΕ* (ita etiam B); *κάλλιστον ἰδέσθαι] ΚΑΛΛΙΣΤΟΝΔΕΣΘΑΙ (ΚΑΛΛΙΣΤΟΝΙΔΕΣΘΑΙ B)*; *Εὐβουλῆα τ' ἄνακτα] ΕΥΒΟΥΛΗΤΑΝΑΚΤΑ* (rectius BP); *Ἀνταύγην] ΑΝΤΑΥΓΝ* (recte BP); *ἀρίδηλον] ΑΡΔΗΛΟΝ (ΑΡΔΗΛΟΝ* B); *ἐπιχθονίων] ΕΠΙΧΘΟΝΙΩΝ (ΕΠΙΧΘΕΟΝΙΩΝ* BP); *Διώνυσος] ΔΙΟΝΙΣΟΣ* (ita etiam B); *ἐπεκλήθη] ΕΠΕΚΛΗΤΗ (ΕΠΙΚΛΗΘΗ* B); *δινεῖται] ΔΙΝΕΙΤΑ* (ita etiam B); *προσωνυμίας] ΠΡΟΣΟΝΥΜΙΑΣ* (recte BP); *ἀμειβομένοιο] ΑΜΕΒΟΜΕΝΟΙΟ* (ita etiam B); I 18, 20 *ὄργια] ΟΡΠΑ* (ita P; *ΟΡΤΑ* B); *παύρη σύνεσις] ΠΛΕΡΙΣΙΝΕΣΙΣ (ΠΑΙΡΕΣΙΝΕΣΙΣ* B); *νοῦς] ΝΟΙΣ* (ita BP); *τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ] ΤΩΝ ΠΑΝΤΩΝ ΥΠΑΤΩΝΘΕΟΝΕΜΜΕΝΑΩ (ΤΩΝ* et *ΑΩ* etiam B); *μέν τ' Ἀίδην] ΜΕΝΤΑ ΔΙΝ* (ita etiam B); *μετοπώρου] ΜΕΤΟΠΑΡΩΙ* (ita etiam B); I 18, 22 *ἦρι] ΕΡΙ* (ita etiam B); *πέπλον] ΠΕΠΛΟΝ* (ita etiam B); *πυρὶ εἴκελον] ΠΥΡΙΚΕΛΟΝ* (ita etiam B); *αὐτὰρ ὕπερθε] ΑΥΤΑΡΠΕΡΕΕ* (ita etiam B); *εὐρὺ καθάψαι] ΕΥΡΙΚΑΤΑΨΑΙ* (ita BP); *πολύστικτον] ΠΟΛΙΣΤΙΚΤΟΝ* (ita B); *δαιδαλέων] ΔΑΙΔΑΛΕΙΩΝ* (ita B); *ἱεροῦ] ΕΡΟΥ* (ita B); *πόλοιο] ΝΟΛΟΙΟ* (ita B); ut alia omittam.

Ex eis quas attuli lectionibus apparet Vaticanum 1) artissimo vinculo cohaerere cum Bambergensi; 2) eum tamen ex illo non magis fluxisse quam Bambergensem ex Vaticano, immo ad idem archetypum utrumque librum esse revocandum. Praestat Vaticanus ut singulis aliquot lectionibus ita maxime eo, quod etiam III 19 § 5 — III 20, § 8 in Bambergensi omissas continet: ex qua parte lectiones discrepantes infra ponam.

III 19, 5 *diçit* (x s. scr.); *opius; idem significat et homerus; ΕΥΟΔΕΑ; hinc et neuius (et* s. scr.); *uertem* ex *uestem* corr. alia manus; III 19, 6 *greculum; mylesium; myrteum; neuianum; pretianum; precox; sextilianum serum tarentirum;* III 20, 1 *chalpurnia; lauianẹa; precox;* III 20, 2 *superus; pyrus;* III 20, 3 *baccam; pyrum;* III 20, 4 *in seila; quaeque sata;* III 20, 5 *lacti; ficeorum; grossus.* Ex quibus lectionibus singulas quasdam paucis illustrabo.

Ac primum quidem oculos in se convertit *sextilianum serum,* quam scripturam ut in solis excerptis Vaticanis (= cod. Palat. 886) extantem eicit Eyssenhardtius. Verum est, hoc uno loco *Sextilianum serum* commemorari: at idem valet, ut exemplum adferam, de *sero Valeriano* ab eodem Cloatio paullo post allato. Nec male Ianius adnotat fortasse nomen

venisse 'a Sextilio praetore cui Cassius Dionysius libros Magonis in Graecum sermonem versos misisse dicitur apud Varr. I 2, 10'. Cf. Reitzensteinius de script. rei rust. ... libris deperditis p. 48. Accedit quod auctoritas illorum excerptorum nequaquam omnino reici poterit: de quibus ad ea quae scribit Ianius vol. II p. VI adn. 3 haec addo: liber est miscellaneus continens haec: 1) Sallustii Catilinam saeculo XV scriptum; 2) Solinum saeculi XIII; 3) in fol. 90—92ʳ synonyma scripta saeculo XIV; post varia quaedam 4) in fol. 125—141ʳ excerpta ex Macrobii Saturnalibus scripta saeculo X; 5) in fol. 141ʳ—163ʳ excerpta ex scriptoribus historiae Augustae scripta eodem saeculo (cf. Peteri praef. p. XVI[2]); in fol. 164—187 Fulgentii librum absque litteris de aetatibus mundi[1]). Excerpta Macrobiana saepius mirifice cum codice 1650 concinunt; velut uterque codex *et* particulam ante *homerum* exhibet, uterque lectionem *superus* et alia similiter: unde sequitur ad eandem cum Vaticano familiam eum referendum esse. Notabilis est eiusdem libri scriptura quae est *agrifolium* III 20, 3, pro qua reliqui libri *acrifolium* exhibent. *Acrifolium* est etiam in glossa Corp. gloss. vol. II p. 14, 3: *acrifolium ἀποῤῥέον*. Ut autem redeamus ad eam a qua profecti summus quaestionem: nunc nemo dubitabit quin scriptura *Sextilianum serum* revocanda sit. — Reliquae libri scripturae minoris momenti sunt. Neque tamen neglegendum videtur, siquidem fides haberi potest silentio Loewii, quod pro *Tarquinius* recte ibi *Tarquitius* extat. *Superus* scriptura spectat ad *superies* = *suberies*, pro qua *suberius* est in codice Parisino. Quod *lauiana* legitur pro *liuiana*, nescio an mero errori tribuendum sit: quamquam qui putant *Livianas* esse easdem atque *Augustas* paullo ante commemoratas huic rei aliquid ponderis imputare possint. Mirum est quod etiam Vaticanus III 20, 5 *lacti* exhibet, pro quo *lacte* edidit Ianius; *ficeorum* scripturam nihili aestimo. Verba quae secuntur *grossi appellantur fici quae non maturescunt: hos Graeci dicunt ὀλύνθους* in memoriam revocant glossam Corp. gloss. vol. II p. 570, 16 (= Gl. Nom. ed. G. Loewe p. 24, 314): *Bolunda grossi primari fuci* (scr. *primarii*

---

1) Quo de libro cf. Reifferscheidii 'Anecdotum Fulgentianum' in ind. schol. Vratisl. hib. a. 1883/4 editum. Ceterum hac occasione data moneo catalogo operum Fulgentianorum addendum esse praeter 'excerptum de musica ex libro de ficticiis poetarum', quod commemoravit ex catalogo bibliothecae Vallicellanae Carolus Sittl Jahresbericht c. q. s. (a. 1889) p. 242, tractatum 'super Thebaiden', quem ex codice Paris. lat. 3012 saec. XIII protraxit et transcripsit Gottholdus Gundermann: quamquam vix dubitari potest, quin qui media aetate hoc opus composuit, Fulgentii nomen immerito praefixerit: exemplum secutus est cum ipsius Fulgentii, tum Ioannis Sarisberiensis et Bernardi Carnotensis, de quibus obiter disputat A. Gasquy, 'de Fabio Planciade Fulgentio Virgilii interprete' (Berolini et Lutetiae Paris. a. 1887). Mirifice enim illius aetatis homines allegorica interpretatione poetarum saecularium delectati sunt. Quid quod ne Dante quidem ab hac explicandi arte abhorret!

fici); ibid. p. 382, 40: *Ὄλυνθος bolunda hoc grusum;* adde p. 35, 40: *Grassus ὄλυνθος καὶ ὁ παχὺς καὶ λιπαρός.* Illud *bolunda* nescio quomodo cum *ὄλυνθος* videtur cohaerere.

Sed haec hactenus: satis enim habeo demonstrasse, si quis novam recensionem Macrobii sit suscepturus, eum codicem Vaticanum 1650 non sine incommodo esse neglecturum.

His quae de Saturnalibus emendandis exposui observatiunculam addam quae ad excerpta de differentiis et societatibus graeci latinique verbi pertinet. Quae apud Keilium (Gramm. Lat. vol. V p. 655) quarto loco ponuntur exempla barytonorum secundum Macrobium Theodosium et perispomenorum secundum eundem, ea omnia redeunt in Pseudocyrilli glossario graecolatino in secundo Corporis glossariorum volumine exhibito. Singula adscribam: *θλίβω tribulo* = p. 328, 45 *θλίβω tribulo presso premo; θλίβομαι tribulor* = p. 328, 44 *θλίβομαι conflictor adflictor; θλίψις tribulatio* = p. 328, 47: *θλίψις ἢ φροντίς tribulatio; γράφω scribo* = p. 265, 13: *γράφω scribo; γραφή scriptura* = p. 265, 10: *γραφή scriptura; γραφεύς scriptor* = p. 265, 9: *γραφεύς scriptor; τέρπω delecto* = p. 453, 33 *τέρπω delecto; τέρπομαι delector* = p. 453, 32: *τέρπομαι delector; τέρψις delectatio* = p. 453, 34 *τέρψις delectatio oblectatio; λήγω decresso uel desino (uel)* = p. 360, 10: *Λήγω decresco desino*; *λέγω dico for memoro aio fero* = p. 359, 7: *λέγω dico for memoro aio sero (fero* a*); λέξις dictio* = p. 359, 26 *λέξις glossula* (ubi *dictio* videtur intercidisse); *πλέκω plico necto nexo* = p. 409, 22: *πλέκω plico necto nexo; ἄγχω neco afflìgo ango* = p. 217, 54 *ἄγχω neco adfligo ango; ἄγχομαι angor* = p. 217, 51 *ἄγχομαι angor; ἀγχονιστής nector* (scr. *necator*) = p. 217, 53: *ἀγχονιστής necator*; *ἀγχόνη laqueus* = p. 217, 52: *ἀγχόνη hoc laqueum hoc suspensum; ᾄδω cano* = p. 219, 6: *ᾄδω canto cano; πλήθω multiplico* (scr. *πληθύνω*) = p. 409, 37: *πληθύνω multiplico amplifico; πλῆθος globus multitudo* = p. 409, 35: *πλῆθος globus hoc uulgus multitudo uulgus singulariter tantum declinabitur; ἀνύτω* = p. 231, 25: *ἀνύω flico exequor conficio; φράζω dissero* = p. 473, 3: *φράζω disserto dissero; φράσις loquela* = p. 473, 4: *φράσις loquella; ὁρίζω definio* = p. 386, 49: *ὁρίζω ἐπὶ τόπου ἤτοι χώρας finio termino limito; ὡρισμένον certum finitum* = p. 482, 30 *ὡρισμένον finitum certum; πάλλω palpito uibro ἐπὶ τοῦ κραδαίνω* = p. 393, 6 et 7: *πάλλω papito* (scr. *palpito*), *πάλλω ἐπὶ τοῦ κραδαίνω bibro (= uibro); νέμω ἐπὶ τοῦ βόσκω* = p. 375, 40: *νέμω ἐπὶ τοῦ βόσκω pasco; νέμω προστασίαν patrocinium tribuo* = p. 375, 41 *νέμω προστασίαν tribuo* (ubi *patrocinium* addendum est); *κρίνω* = 355, 23 *κρίνο censeo; σπείρω semino* = 435, 35: *σπείρω semino satio sero; σπέρμα semen* = p. 435, 39: *σπέρμα seminarium semen; δικαιῶ δίκαιος* = p. 277, 25 et 23: *δικαιῶ iustifico aequum censeo, δίκαιος aequus iustus aequalis aequabilis; ποιῶ ποίημα ποιητής* = p. 411, 45, 15, 19: *ποιῶ factito facio; ποίημα poema conmentum; ποιητής poeta; λεπίζω squameo* = p. 359, 27: *λεπίζω squameo; λεπὶς ὄφεως* = p. 359, 28: *λεπὶς ὄφεως ἢ ἰχθύος squama; λεπὶς ἀργυροῦ*

ἢ χαλκοῦ = p. 359, 29: *λεπὶς ἀργυροῦ ἢ χαλκοῦ lamma; ἕψω ἑψητής* = p. 321, 42, 41: *ἕψω coquo, ἑψητής coactuarius; λαλῶ λάλος uerbosus* = p. 358, 22, 21: *λαλῶ for loquor: λάλος loquax argutus uerbosus; λαλιά loquela* = p. 358, 20: *λαλιά loquella elocutio; τιμῶ honoro* = p. 456, 2: *τιμῶ honoro honorifico; τιμή honor* = p. 455, 38: *τιμὴ ἐπὶ ἀξίας hic honor honestas hic honus*; *στεφανῶ στέφανος corona* = p. 437, 39, 38: *στεφανῶ corono, στέφανος haec corona serta sertum; στεφάνωμα infula stemma* = p. 437, 40: *στεφάνωμα stemma.* Quae tanta consensio, etsi hic illic in glossis contaminatione turbata, fortuita esse non potest. Sed cave ne credas haec omnia sic uti apud Keilium leguntur ex Macrobio fluxisse: immo plurima apud Macrobium non extitisse paene certum est. Quo enim consilio tibi persuadebis Macrobium omnia latine vertisse? Quomodo factum esse credes, ut non simpliciter *νέμω* poneret, sed *νέμω προστασίαν*, et *λεπὶς ὄφεως, λεπὶς ἀργυροῦ ἢ χαλκοῦ* vel alia? Cui denique credibile videtur Macrobium *λέγω* per *for* vertisse respicienti haec verba p. 654, 23 posita: *faris fatur, roras rorat, daris datur; nec roro tamen nec dor nec for admittit auctoritas?* Accedit quod reliquorum excerptorum, ex quibus Graeca vocabula peti potuerunt plurima, in glossario vestigia nulla videntur extare. Itaque sic statuendum: ex Macrobio fluxisse illa *θλίβω, γράφω, τέρπω, λήγω, λέγω* e. q. s.; ea latine versa et aucta esse aliis vocabulis ab homine, qui glossariis bilinguibus usus est, quamvis non prorsus eisdem quibus hodie utimur.

Ceterum mirum est quod Teuffelius Hist. litt. Rom. [4] p. 1058 (cf. Leutschii Ind. philol. vol. III a. 1871 p. 445) hunc Macrobii librum paene unicum testem studiorum in Graeca et Latina lingua comparanda collocatorum relictum esse dicit, nimirum idiomatum variis et copiosis collectionibus neglectis, quae ex parte certe ad artigraphorum principem Remmium Palaemonem, videntur revocandae esse.